


quod latus scalæ cadat regula, & quot partes abscindas, quod si enim cadat præcise in 12. partem, secans totum quadratum bifariam, tunc putei profunditas eadem est cum latitudine orificij ipsius, idem de valle intelligendum. Quod si verò regula cadat in latus umbræ rectæ, profunditas maior est latitudine orificij, multiplica igitur latitudinem putei aut vallis, per totū scalæ latus; productum diuide per partes à regula tactas & habebis intentum. Quod si orificium putei sit rotundum, eius diameter est sumenda pro latitud. Vt in exēplo. Sit latitudo putei aut vallis 5. cubitorum, quæ multiplicatæ per 12, dant 60, quæ diuisa per partes abscissas dant 20 cubitos, profunditatem nimirum putei aut vallis propositæ.



Quod si tertio regula cadat in latus umbræ veræ, profunditas erit minor latitudine prædicta: & tunc multiplica latitudinem, (quæ in orificio rotundo per eius diametrum capienda est,) per partes à regula notatas, & productum diuide per totū scalæ latus. Vt si latitudo vallis sit 35. cubitorum, qui multiplicati per partes abscissas v. g. 4. dent 140, hi diuisi per totum scalæ latus dabunt in quotiente 11. cubitos &  $\frac{2}{4}$  cubiti, profunditatem nimirum putei aut vallis propositæ.

Sed notandum, quod in profunditate vallis inuenta, statura mensuris semper est auferenda.

Latitudo autem vallis mensuratur sicut spatium aut planū aliquod horizontale per regul. superiori propof. traditas. Et hæc de usu Astrolabij, prout compendiosa & facilis requirit tractatio, dicta sufficiant.

L. D. & V. M.